



1. Melchioris Schmidij Diss. de Linguis sacris. 1685.
2. Joh. Bernh. Hahn Diss. de appellatione Linguae
Hebraeae, quae dicitur Sancta. 1712.
3. Joh. Henri. Honel Diss. de vocis quam Hebraei vocant
Jehia. 1673.
4. Valent. Frederici Diss. de filia vocis. 1670.
5. Henri. Liedert Diss. de mandato scribendi novum testamentum. 1719.
6. Joh. Henri. Lypij Diss. de usu Linguae Syriacae. 1726.
7. ejusdem de historia Linguae Sanctae. 1726.
8. Mich. Ghercke Diss. de fama Graecae Linguae. 1716.
9. Joh. Bernh. Hahn Diss. exhibens decadem observan-
tionum philologicarum, e Literatura Graeca, Chr.
10. ejusdem, de appellatione Linguae Chrae. quae dicitur Sancta
1715.
11. ejusdem, Diss. exhibens decadem observantiarum
philologicarum e Literatura Orientali. 1715.
12. Bernh. von Salden Diss. de Aora, 1709.

40
44
GEORGI HEINRICI GOETZI, D.

Superint. Lubec.

ECLOGAM THEOLOGICAM,

Qvæstionem,

Num Sacerdoti convivii

interesse liceat ?

vel

Ob ein Priester Gastereyen beywohnen dürffe?

pertractantem,

in Confessu Reverendi Presbyterii

D. XII. Novembr. A. MDCCXIII.

propugnabit

JOACHIMUS LUDOLPH. BÜNEMANN,

Calba-Palæo-Marchicus,

Designatus Pastor Ecclesiæ Teutonica apud Bergenses.

LUBECÆ, Typis JO. NICOLAI GREENII.



§. I.



Eptennium nunc præterlapsum est, cum *Eclogam*, de *Conviviis Eruditorum*, ad *Pericopam Evangelicam Dom. XVII. post Trinit.* proponerem, inque ea doctorum quorundam mores ac fata, in conviviis, quæ vel appararunt, vel frequentarunt, suscepta, breviter describerem. At cum in illa Præconum verbi nullam injecerim mentionem, num & isti epulas adire queant, ab officio meo haud alienum fore existimavi, si quæstionem hanc paulo uberius expenderem: *Num sacerdotibus convivia frequentare permitti queat?* Etenim cum nuper admodum in *Sermone solenni*, quo venerandus Theologus *Gedanensis*, *D. Joachimus Weickmannus*, munus sacrum apud *Gedanenses A. 1705.* auspiciatus est, p. 98. sequentia legissem verba: *Erlaubet mir mein Leben in stiller Einsamkeit zu führen, wie ichs gewohnet bin, nachdem ich mich des Orts / da ich gewesen, viel Jahre her aller grossen Gesellschaften und Gastereyen entschlagen, denen beyzuwohnen / meine Gesundheit nicht leidet / und die zeit kan auch besser angewandt werden; non inutilem operam me suscepturum esse judicavi, si hoc de argumento nunc commentari instituerem.*

§. 2. Ad convivia autem, tum publica, tum privata, quæ frequentari solent, nunc respicienti, *sacrum illud convivium*, prolixius hic exponere haud vacat. Istud enim, quod *Christus Iesus* olim apparavit, à verbi ministro negligendum haud est, quippe qui peccatorum, quibus pariter obnoxius est, remissionis indigus ad sacram coenam accedere debet, ut decorum venia impetrata magis magisque certior reddatur, novaque fidei nanciscatur incrementa. Quapropter laudem illi merentur, qui, præsentibus vel auditoribus suis, vel aliis convivis

vivis, frequenter ad sacram coenam, conquiritissimis cibis exstructam, accumbunt, atque exemplo suo alios permovent, ut eandem pietatem Christi mandato declarent, sibi que hac ratione bene consulant. Referendus huc est *Hieronymus Wellerus*, Theologus Freibergensis, de quo notum est, quod ob varias, easque gravissimas, tentationes sacra coena sapissime quotannis usus fuerit. Vid. *M. Christ. Frider. Lämmeli Historia Welleriana*, p. 63. Causas autem, quibus permotus crebrius accessit, ipse exposuit *Opp. Latinor. Sect. III. f. 21*. Cui jungi meretur *M. Modestinus Wedmannus*, Presbyt. Evangel. quod Erfurti est, Senior, & August. Confess. ac Oriental. Lingvar. Profess. Publ. A. 1625. annum aetatis 63. agens, pie denatus, cujus in *Homilia funebri*, à *M. Georgio Silberschlagio* habita, hisce verbis mentio injicitur: Wie er sonst mit seinem ganzen Hause pflegte zu rechter zeit das S. und hochwürdige Abendmahl zugebrauchen; Also hatte er ihm vorgenommen, alle sechs Wochen / für seine Person, seine Beichte zu thun, und auff empfangene heilige Absolution zu communiciren, dazu er auch nechst vergangenen neuen Jahr den Anfang gemacht. Des war ihm hefftig zu wider, wenn einer die Absolutionem privatam verachtete, wie er denn auch publice in etlichen Examinibus solche mit ernst perstringirte. Hi ergo, cum reliquis, referendi sunt ad illos, quos *Apol. Aug. Confess. Art. IV. p. 159.* laudat: Certe in Ecclesiis nostris plurimi saepe in anno utantur Sacramentis, Absolutione & Cæna Domini, & quæ docent de dignitate & fructibus Sacramentorum, ita dicunt, ut inveniunt populum, ut saepe utantur Sacramentis.

§. 3. Missio autem hoc Convivio Eucharistico, cui nemo vere piorum sese subducere potest, de iis nunc differendum est epulis, quæ eum in finem instruuntur, ut corpus cibis reficiatur ac sustentetur, animusque aliis laboribus defatigatus utilibus colloquiis exhilaretur. Iis ergo non semper interesse debent verbi præcones, si scilicet ipsorum valetudo, cuius ratio vel maxime habenda est, haud permittat, sacra munia vel accuratam præmeditationem dicendorum requirant, ut Musæis adha-

rere teneantur, vel alia expediunda sint, quæ moram haud per-
 mittunt, atque in gregis commissi salutem vergunt, imo si
 scandalum auditoribus frequenti conviviorum visitatione præ-
 beatur, atque publica lege non sit cautum, ut iisdem se sub-
 trahant. Etenim illi in se ipsos valde forent injurii, si debile
 corpus habentes amica convivia, ad quæ vocantur, statim
 frequentare, atque iisdem se associare vellent convivis, qui opti-
 ma valetudine fruentes in protractam usque noctem cibo potu-
 que ventrem implere assolent. Quapropter unusquisque se vi-
 resque suas probe diligenterque exploret, quid humeri valeant,
 quid ferre recusent, ne fero nimis de valetudine amissa con-
 queri necesse habeat. Melius enim est, hominum iram in se
 derivare, quam viribus ad sacros labores perferendos necessa-
 riis se privare, ut aliis simus oneri, ac familiæ præesse nequea-
 mus. Deinde impietatis vel maxime arguendi essent, si unius
 offulæ causa tempus, sacris meditationibus destinatum, turpi-
 ter perdere, atque genio ita indulgere vellent, ut necessarias
 officii sacri partes obire non integrum esset, ac vel verba ad po-
 pulum facere non valerent, nec ægrotos visitare possent. Hoc
 sane pacto nec famæ, nec conscientiæ rationem habituri essent,
 imo Deum sibi redderent valde iratum. Ut de scandalo nihil
 edisseram, quod illi datur coetui, si is exemplo Doctorum sen-
 sim pedetentimque invitatus in vitia irruat, atque helluacioni
 vacare instituat. Si autem leges publicæ svaideant, ut vel con-
 vivii nuptialibus, vel baptismalibus, vel aliis solennioribus,
 interesse debeant, temperantiæ & sobrietatis diligentem gerant
 curam, ne vel valetudini noceant, vel conscientiam lædant,
 vel alios offendant, quapropter in tempore domum se recipiant,
 quo eo majori animi contentione sacris invigilare queant labori-
 bus, ac reliqui convivæ ipsorum vestigia premere instituant.

§. 4. At enim vero quamvis illi culpa vacare possint, qui
 rationibus gravissimis permoti raro in conviviiis apparent, edu-
 lia lautiora opipare apparata non curantes, tamen nec illi re-
 prehensionem merentur Sacerdotes, qui vocati ab auditoribus suis

non-

noununquam, ipsorum conviviis animo hilari latoque inter esse haud detrectant, quo propensos eorum animos agnoscen- tes Divini Numinis providentiam celebrent, ac hospites beni- gnos ad virtutis studium sectandum invitent magis, ac pertra- hant. Hanc assertionem autem nec sacris literis, nec exem- plis piorum, nec Doctorum suffragiis contrariam esse, uberius nunc probatum dabo.

§. 5. Vocati ergo accedere possunt Sacerdotes, juxta il- lud Christi: *Quando vocatus fueris (ad nuptias, vel ad comedendum panem) abiens accumbe, Luc. 14. 10.* Etenim si ul- tro non invitati comparerent, facile infamiam sibi accelerarent, ac si omnium mensarum assecla essent, ac forte sua minus con- tenti lautiores tantum epulas quærent, iisdemque accumbe- rent. Deinde *auditorum suorum* cumprimis rationem habere de- bent, ut eisdem benevolentiam suam animumque ab omni su- perbia alienum declarent. Sapissime enim accidere solet, ut, Ministri Ecclesiæ ab auditoribus ad nuptias invitati, si appa- rere recusent, eam de se excitent opinionem, ac si fastu tur- gerent, aliosque vilioris fortis homines despiciatui haberent. Hinc querebunda voce ingemiscunt: *Unser Beischwæter kommt nicht zu uns, wir sind ihm viel zu schlecht, daß er mit uns es- sen solte.* Sed dum eorum mensis asfidere possunt, qui ipso- rum fidei sunt concediti, nulli facile svasor esse vellem, ut interesse convivio, ubi Cyclopes, asoti, clamosi stentores, bi- bones atque Cynici genio indulgent. Raro enim illi ad melio- rem perveniunt frugem, licet verbi præconem præsentem videant audiantque. Ut non attingam juxta tritum illud adagium: *Nosci- tur ex socio, qui non cognoscitur ex se*, vel: *Talis quisque solet ha- beri, cum qualibus agit familiaritatem*, ejusmodi commensales & socios haud leve existimationi ipsius allaturos esse detrimentum. Vid. M. Melch. Sylvestri Eckhardi Pastor Conscientiosus, p. 307 sq. Si vero ad diversæ religionis homines vocaretur ad prandium, quæritur, num in eo præsens esse queat? Equidem si illi docti- les essent, nec refractarii, ut eorum animas lucrari quis posset,

nec scandalum præberet coetui suo, non adeo repugnarem, tutiorem tamen viam hac in re eligendam, atque abstinendum esse judicarem. Non enim omnes Christi imitatores hac in parte esse queunt. Sic non svaderem Lutheranae Ecclesiae Doctores, ut Pontificiorum, tempore quadragesimali ab esu carnis abhorrentium, & pisces molles ac delicatos quærentium, epulis interesset, ne accubitu suo alios offenderet, atque dissentientes in opinione sua confirmaret, ac si superstitiosis hisce conviviis, licet illa inepta judicaret, admodum delectaretur, quod eorum particeps esse posset. Cognitus est mihi verbi Minister, qui, cum in itinere *Francofurti* per dies aliquot degeret, a Judæo in platea Judæorum habitante, ad prandium vocaretur, eum in finem comparere renuebat, ne civibus aliisque, quorum oculi in eum conjecti erant, præsentia Judæis accommodata, offenculo esset, famæque suæ labeculam adspargeret. Illi enim, qui Christum recipere nolunt, à Ministro ejus haud debent salutari, præunte Johanne, 2. *Epist. v. 10.* Dum vero auditoribus, quos nactus est, præsentiam suam haud denegare potest sacerdos, haud immerito conspecte eidem est providendum, ne semper, sed interdum tantum, apud eos extra domum cibum capiat, ne heluonem agere, ac immoderatè & intemperanter vivere videatur. Ea enim, quæ auditoribus permessa sunt, ipsa statim Doctoribus non concedi queunt, imò illa vitio eisdem vertuntur, quæ contra aliis laudi sunt ac ornamento. Pauli ergo monitum diligenter est perpendendum, graviter Corinthios 1. *Epist. 10. 23.* compellantis: *Omnia mihi licent; Sed non omnia conducunt. Omnia mihi licent, sed non omnia edificant.* Quod si vero convivam agere velit, animo hilari ac læto accedat, juxta illud Regum Sapientissimi; *In die bona frueri bono. Coh. VII. 15.* A nimia tamen lætitia sibi caveat velim, ne illa tristitiam postero die pariat. Quapropter honestatem læsurus esset procul dubio Sacerdos, si in quovis convivio, nullo convivarum habito delectu, cithara, testudine, aliove instrumento musico ludere, vel inter pocula psallentibus accinere vel præcinere institueret, prout laudatus *Eckhardus l. c. p. 308. sq.* monet. Num vero in
reli-

reliquorum convivatum salutem bibere queat divinatorum oraculorum interpres, paucis adhuc disquirere nunc placet. Jo. Brunnemannus de Jure Ecclesiastico p. 246. in negativam propendere videtur sententiam, ita scribens: *In specie à poculis pro sanitate principis vel aliorum abstinent merito Clerici c. 35. Dist. 5. de Consecratione. Nam licet in tali casu nil peccetur forte contra leges temperantia, & exigua capacitatis vasculum ebibendum propinetur, posset tamen alios ad peccandum inducere suo exemplo, qui intra eos terminos se non continebunt.* Cui addi potest Sam. Strykius in Notis p. 253sq. cum Domin. Arumao in Notis ad Auream Bullam p. 254. P. Laurenberg. Acerr. Philolog. Cent. 3. N. 99. p. 644. Jo. Michael. Dilberro in Dial. 2. Phil. p. 140. Existimat tamen Autor Dissert. de Decoro Ministrorum Ecclesiae, sub praesidio D. Jo. Guilielmi Baieri, Theol. Altdorff. 1716. habitae, p. 24. morem illum, si modus bibendi non excedatur, nec inhonestum nec indecorum censi posse. Namque cuilibet licet mentis suae affectum per externa quaedam signa monstrare; bibere autem in alterius salutem est idem, ac testari, te esse illi amicum, & cum tibi bene sit, etiam istius sanitatem optare. Vidi olim Theologum gravissimum, qui quidem in alterius salutem cyathos delibare non solitus erat, mitra tamen detracta illi, cui hac bibendi ratione honor exhibebatur, omnem felicitatem apprecabatur. Nullius ergo conscientiae, si hac adbibendi forma, licet modum non excedat, ipsi in convivis displicuerit, vis inferenda est. Nonnulli jocos in convivis proferunt, laetioris animi signa edituri, qui, si moderate, circumspicte, tempestive, verbis convenientibus, nec minus pungentibus, letitiae promovenda causa, sunt, plane improbari non debent. Monitum tamen supra adducti Eckhardi l. c. p. 302. diligentissime notetur, ita scribens: *Si Ecclesiasticorum quisquam scurram agit jocando, sequae φιλογέλατος praebet, ille quidem in faciem, velut omnium horarum homo laudatur, at demum posticis sannis ab osoribus hujus ordinis excerpitur, non sine ignominia aliorum, qui ab hisce moribus alienissimi.* Referendi huc sunt Duum Viri praestantissimi, qui convivii quidem laetis animis interfuerunt, sobrietatis tamen limites nunquam tran-

sili v e .

filiverunt. Quorum alter erat supra nominatus *Modestinus Wed-*
mannus, Ecclesiastes Erfurtinus, in cujus laudem sequentia
 in *homilia* adducta scripta deprehendo: Neben seiner Leibesbe-
 schwerung hatte er doch allezeit einen frischen Muth, also, daß er
 bey guten Freunden recht frölich war / wie mir dessen viel vor-
 nehme Personen werden Zeugnis geben, welche ihn gerne um und
 neben sich hatten, iedoch gleichwol ohn übrig Zechen. Und
 wenn er gleich bisweilen ein Freudentrüncklein that, welches
 doch selten geschah / so übernahm er sich doch nicht / sondern
 wuste sein zu rechter zeit aufzuhören / wie er denn ein recht
 nüchtern und mäßig Leben führte. Alter vero *Georgius*
Koenigius, Theologus Altdorffinus, egregiis ingenii mo-
 numentis insignis, qui urbanis honestisque faciebus absque
 fama detrimento in congressibus amicorum delectatus fuisse
 fertur. *Exprimi verbis non potest, Doctoris hujus svada, verba Magni Danielis Omeisii, quæ in Gloria Academia Altdorffina p. 27.*
leguntur, hic repeto, nectare & ambrosia dulcior, ac peramabile re-
liqua in vita temperamentum, quo hilaritatem severitate, severita-
tem amore, humanitate gravitatem prudenter noverat miscere. Eum
 vero, cum aliquando convivio interfuisset, præfagium mortis
 habuisse, famigeratissimus Academiae Noricorum Theologus, D.
Gustav. Georgius Zeltner, in Vitis Theol. Altdorffinor. p. 125. testi-
 moniis virorum fide dignissimorum instructus commemorat, cu-
 jus narrationem hic omittendam haud esse judico: "Profe-
 ,, etus cum Collegis quibusdam Lauffam, quod Noribergense
 ,, oppidum est, altero lapide Altorphio distans, cum ad Genero-
 ,, sissimum hujus Præfectum hujus municipii, sibi comiti-
 ,, busque amicissimum, pransurus divertisset, & propinatum,
 ,, inter amica colloquia, poculum, (incertum, an vitrum) manu
 ,, accepisset, videre se in fundo vasculi *cranium mortui hominis*
 ,, depictum semel iterumque, non solum persvasus, sed etiam
 ,, professus est. Cum enim prima vice oblatam illam imaginem
 ,, perspexisset, & animi causa à convivis, atque ipso adeo hospi-
 ,, te generoso, sibi exhibitum esse poculum hac pictura ornatum
 existi-

existimasset, eosque hoc nomine etiam modeste, tanquam qui per jocum id porrexerint, compellasset; illi non solum iterum iterumque, dedita opera à se factum, inficiati sunt, sed etiam probe ut elueretur jusserunt, atque sic demum expurgatum reddiderunt. Quo facto, denuo ori id admovens, ubi prior imago, prorsus ut ante, conspecta esset, jam demum se intelligere, quorsum hæc spectarent, præsentis animo ipse dixit, & præfatio iuculento sibi, ut ad mortem imminente se componeret, divinitus denunciari, pronuntiavit. Neque etiam, post reditum ad suos, hanc cogitationem tanquam deposuit. Et sane eventus, quod videbatur portendi, plus satis, non vanum hoc fuisse augurium, sed præsignificationem sublimioris originis monitumque divinius, ostendit. Lætitiâ autem, honestis jocis skipatam, Ministris Ecclesiarum haud vitio vertendam, nec scurrilitatis arguendam esse, adversus D. Joach. Langium prolixè probatum legi in *Disputatione Theologica*, de *ΕΥΤΡΑΠΕΛΙΑ* Paulina ad *Ephes.* 5. 4. sub præsidio clarissimi Lipsiensium Theologi, D. *Henrici Klausingii*, A. 1722. p. 23 sqq. defensa. Non immerito autem Sacerdos convivans agnoscit divini Numinis providentiam, dum eundem cibo potuque reficit, atque uxori liberisque benignissime prospicit, ne de victu necessario conquerantur. Spectant huc leges publicæ, quæ permittunt verbi Ministro, ut conviviis intersit publicis, nec ab illis temere repellatur. Vid. D. *Benedicti Carpzovii* *Definit. Eccles. seu Consistoriales*, f. 135. Ut non commemorem, dona seu munera convivalia domum deferent-

da (quæ alias *Apophoreta* vocantur, teste *Jo. Guilielmo Struckio, Antiquit. Convival. L. III. c. 23. f. 411.*) verbi ministro offerri, ut domi quoque iisdem nutrirî ac sustentari queat. Hæc ergo materiam ipsi præbent benignitatem Dei agnoscendi & celebrandi. Quapropter melius facit, si laudibus divinis decantandis operam impendat, quam si disserere incipiat iis de rebus, quæ animos hominum perturbant, ac lites pariunt. Hinc monent viri prudentes, ministri Verbi esse, à disputationibus & rixis in conviviis abstinere, imo illis, qui de fidei capitibus disputare instituunt, atque vel verbositate, vel ignoratione elenchi, vel virulenta insectatione laborant, modeste solideque respondere, ne vel laceffantur, vel alii, quorum in confessu eiusmodi disputationes instituuntur, scandalum inde capiant. Leg. *Brunnemannus l. c. p. 246.* & *Eckhardus l. c. p. 286. sqq.* Precibus autem devotis ut convivari incipiant ac desinant, pietatis esse arbitror, quo & reliqui exemplum inde capiant, Deoque pro concessis bonis gratias exolvant. Conferatur *Stryckius l. c. p. 254.* Quemadmodum autem reliquis, qui vocati sunt, exemplo esse debet ac imitationi, sic sobrietati quoque ac temperantiæ ipsi est studendum, ne male audire incipiat. Notum est, de Pastore Ecclesiæ obsonium carpente, communi proverbio circumferri, eundem partem delicatorem & lautioiorem sibi tribuere, das Pfaffenstückgen und Schnitt legt sich der Pfarrer beyseite. Et sane negari haud potest, Papismicultores in ea esse sententia, cibum pingviorem Clericis, ut vocari malunt, esse porrigendum. Hanc in Belgio publice

II.

blice olim fuisse defensam, *Cornel. à Lapide in Comment. in Prophet. Minores f. 77.* hisce verbis est testatus: *Audivi in Belgio, celebrem concionatorem, qui calumniatoribus nonnullis obiectantibus, Clericos & Religiosos quosdam laute vivere, pro concione respondit; primo hanc esse calumniam & mendacium; secundo, esto id veium esset, non esse iniquum, sed secundum ordinem rerum: Deus enim creavit creaturas, ut servirent piis, non impiis; famulis non hostibus. Quocirca, inquit, si panis, si vinum, si ova, si perdices loqui possent, clamarent. Comedant nos viri sancti, servi Dei nostri. Substantia nostra, caro nostra incorporetur sanctis, ut in iis ad gloriam, non peccatoribus, in illis enim resurget ad gehemam. Quæ enim creatura non mahit esse in coelo & gloria, quam in inferno & igne?* Quicquid fit de hujus viri pronunciato, quod *B. Dannhauerus, in Collegio Decalogice p. 824.* sibi examinandum sumsit, hoc tamen affirmare nunc sustineo, & frugalitatis & modestiæ rationem à Verbi Ministro esse habendam in conviviiis, quò omnia in Dei gloriam & auditorem salutem dirigantur & redeant. Haud displicent mihi *Tertulliani* verba, convivium veterum Christianorum describentis, quibus ut epula nostrorum auditorum quoque describi possint, unice in votis habeo. Extant illa *c. 39. Apologetici f. m. 32.* ac sequentem in modum fluunt: *Si honesta causa est convivii, reliquum ordinem disciplinæ æstimate, qui sit de religionis officio, nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit: non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur, editur quantum esurientes capiunt; bibitur, quantum pudicis est utile. Ita saturantur, ut qui meminervint, etiam per noctem adorandum Deum sibi esse, ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Postquam manuales & lumina, ut quisque de Scripturis sanctis vel de pro-*

prio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere, hinc probatur, quomodo hiberit, aequae oratio convivium dirimit. Inde disceditur non in ceteras castrorum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eandem curam modestiae & pudicitiae, ut qui non coenam coenaverint, quam disciplinam. Plura de pietate cum prudentia conjuncta, à Verbi Ministro convivante praestanda, dabit Dannbauerus l. c. p. 821 sq. & 824. Io. Andreas Qvenstedius in *Ethica pastorali* p. 295 sqq. Jo. Ludovicus Hartmannus in *Pastoralis Evangelici* L. II. c. 7. p. 261 sqq. Superadducta *Dissertatio de Decoro Ministri Ecclesiae* §. XIII. p. 22 sq. Casp. Zieglerus de *Episcopis* Libr. IV. c. V. p. 32 sq.

§. 6. Ceterum finem huic Eclogae impositurus, mihi aliisque Regulam vitae commendatam volo, quam olim Jo. Bugenhagenus, filius Jo. Bugenbaggii (cuius merita in universum Regis Danorum Regnum, cui aeternum bene sit! aliasque civitates maris Balthici collata, nulla unquam delebit oblivio) A. MDLXXXIII. d. XII. Martii praescripsit Jo. Stolterfohtio, Lubecensi, tunc temporis peregrinanti, ac postea Sacerdoti & Rostochienfi & Lubecensi praclare merito, ipsius Albo inferuit, hisce verbis conceptam: *Milita bonam militiam, habens fidem & conscientiam. Fides regitur Evangelio; bona conscientia regitur Decalogo: Decalogus regit vocationem. Servias Vocationi nec frangaris impatientia nec diffidentia, Petas & expectes auxilium, bonos successus, & vitam aeternam*
à DEO.

TANTUM!

00 A 6445

ULB Halle

002 937 573

3




5b.


12

1017

HL. 96.







Farbkarte #13

B.I.G.

40
44
GEORGI HEINRICI GOETZI, D.
Superint. Lubec,
ECLOGAM THEOLOGICAM,
Qvæstionem,
Num Sacerdoti convivii
interesse liceat?

vel

Ob ein Priester Gaste-
reyen beywohnen dürffe?

pertractantem,

in Confessu Reverendi Presbyterii

D. XII, Novembr. A. MDCCXIII.

propugnabit

JOACHIMUS LUDOLPH. BÜNEMANN,

Calba-Palæo-Marchicus,

Designatus Pastor Ecclesiæ Teutonice apud Bergenses.

LUBECÆ, Typis JO. NICOLAI GREENII.